

D E O D U C T

M E D I T A T I O S . E V A N G E L I I .

F E R I Æ P R I M Æ

**P A S C H A T O S .****A d d i t i s S . P a t r u m d i c t i s , Q u æ s t i o ,**numq; aliquot decisione, ad uberiorem textus, cùm opus est,  
explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

Q U A M

*In Regia Aboënsi Academia.*

P R A E S I D E

**D N . A E S C H I L L O P E T R A E O**

S . S . Theol . Doct . Profess . &amp; Civitatis ejusdem Pastore .

*Examinis subiicit, in Auditorio Majori, horis solitis.*

Addiem Feb. 27 Anni 1651.

**E R I C U S E R I C I P O R T U L I N U S A L A N U S**(A) *Hieronimus Epist. 150.*Surrexerat ipsa hora, qua voluerat, nulli mortalium cognita, divina potentia egressus  
fuerat ex monumento, saepe adhuc illie incumbente.(B) *Iustin. Martirij Q. 117.*Angeli lapidem postea removent, ut Spectantibus declaretur resurreccio & signa illie reli-  
cta, fidem facerent Maiorem.

A B O A E

---

*Excudebat Petrus Wald/ Acad. Typogr. Anno. 1651.*

Reverendissimo & Amplissimo VIRO.

# DN. M. ISAACO ROTHOVIO

Aboënsishujus diæcessios Ephoro longè dignissimo, nec  
non universitatis ejusdem pro Cancellario eminentissimo,  
æterno animi obsequio venerando.

Magnifico Dn. Rectori

# DN. M. ERICO ACHRELIO

Medicinae professori experientissimo.

N E C N O N

Admodum Reverendis Consultissimis exellentissimis &  
Præclarissimis Dnis. PROFESSORIBUS, Præcepto-  
ribus, Mecænatibus ac promotoribus quovis ob-  
servantiae cultu ætatem suspiciendis, colendis.

C U M E T

Reverendis, Doctissimis, Humanissimis & Prastantissimis  
VIRIS.

# DN. BOETIO MURE & DN. ERICO NICOLAI

NIO Ecclesiæ Saltyicensis  
Pastori & totius tractus Alan-

NYCOPENSI Pastori in  
Foglio vigilissimo & pa-  
densis Præposito meritissimo.

# DN. GEORGIO JOHAN-

NIS Hornicæ Templi cathe-  
dralis Aboënsis oeconomico  
designato.

# DN. LAURENTIO M.

Hammar Reverendissimi Episco-  
pi Aboënsis Sacellano & ama-  
nuchi dexterrimo.

Homiliam banc in infallibilem promotionis spem re-  
verenter ac officio dedicat & offert. Respondens  
ERICUS ERICI Portulinus

FERIA PRIMA

P A S C H A T O S.

In Sancte & Summe Laudare Trinitatis Patris, filii,  
& Spiritus Sancti Nominis.

**Q**ulla non es derelicturus anima mea in sepulchro,  
neque expositurus cum quem benigniter prosequeris, ut vis  
deat corruptionem. Pial. 16, v. 10, Hac verba S. Petrus in  
sua concione allegat. Act. 2. v. 30. 31. 32. David inquit  
propheta, existens & sciret, quia jure jurando juras et illi  
Deus de fructu lumbi ejus, Sedere Super sedem ejus  
Christus exoriretur Providens locutus est, de re-  
surrectione Christi, quia non derelicta est anima ejus in  
inferno; caro ejus vident corruptionem. Hunc Iesum re-  
fuscatavit Deus, cuius nos omnes testes summus. Dextera  
igitur Dei exaltatus, & promissione S. Sancti accepta a  
Patre, effudit hoc (Iubaudi donum) quod vos nunc vide-  
tis & auditis. Non enim David ascendit in Caelos: dicit  
autem ipse: Dixit Dominus Domino, meo, sede a Dex-  
teris meis, donec ponam inimicos tuos scabeilum pedum  
tuorum. Ubi docet S. Petrus Davide non loqui de se  
ipso, sed ut prophetam de Christo videt. de ejus resurrec-  
tione quod minimè fallax fuerit. Hunc inquit  
S. Petrus, Iesum excitavit Deus, cuius rei nos omnes testes  
sumus; hoc petri Testimonium de Christi resurrectione  
ex mortuis sequitur Ecclesia Christiana, & idem cum Pe-  
tro se credere ostendit. Publicum festum celebrans in me-

A a

moriām

moriam resurrectionis Christi, quæ resurrectio, quia die  
Festi Paschatos judæorū contigit vocatur etiam in nostra  
Ecclesia Festum Paschatos, quod Festum judæi celebrant  
quotannis magna cum laetitia in memoriam liberationis  
& exitus ex Ægypto, ubi durissima servitute premeban-  
tur. Christiani etiam magna cum laetitia festum cele-  
brant Paschatos, propter resurrectionem Christi, per quā  
nos liberati sumus à potestate Diaboli, & omnibus portis  
inferni, ab æternâ morte & damnatione, reserata nobis  
janua Coeli & aditus patet ad gloriam Coelestem & gau-  
dium sempiternum; victori autem Christo læticanemus.  
Christus in morte hæsit, &c.

**O**remus etiam Deum, ut hodiernum festum ita celebrare,  
vangelium, ita meditari queamus, ut cedat in nominis diuini  
gloriam, nobis in augmentum & incrementum doctrine, &  
bonorum operum, in spem & fiduciam, & tandem in aeternam  
beatitudinem: Dicamus igitur, Pater noster &c.

Evangel. Marc. 16: à 1. usq; ad 8. v.

**E**t quum præterisset sabbatum, Maria Magdalena  
& Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut  
venirent & ungerent eum. Et summo diluculodo  
ei primi sabbatorum veniant ad monumentum, exerto  
sole: Diebantq; inter se, quis revolvet nobis lapidem  
ab ostio monumenti? (Et quum respexissent, vident  
lapidem esse revolutum) nam erat magnus valde.  
Et ingressæ in monumentum, viderunt adolescentem  
sedentem à dextris, amictum stola candida: & expa-  
verunt. At ille dicit eis, ne expavescatis: JESU M  
queritis Nazarenum, qui fuit crucifixus: surrexit,  
non

non est hic: ecce locus ubi posuerant illum... Sed abi-  
te, dicit eis discipulis ejus & Petro, quod ille precedet  
vos in Galileam: ibi eum videbitis, sicut dixit vo-  
bis.

**R**efert S. Evang: Marcus in recitato textu, quomodo  
relapso Sabbatho, quædam piz mulieres, tres vidz: qua-  
rū noimia sunt Maria Magdalena, Maria Jacobi, Salome,  
emerint aromata ad ung vendū Jesū, & quōodo die proxi-  
mo à Sabbatho venerint ad sepulchrum Christi, valde ma-  
ne ex oriente sole. Quid sint inter se locutæ etiam indi-  
catur, vñ hoc quis revolvet nobis lapidem ab ostio monu-  
menti, & quomodo recipientes, viderint revolutum la-  
pidem qui magnus erat valde, in Sepulchrum autem in-  
gressis hoc contigit, viderunt juvenem sedentem adextris  
in stola alba unde illæ perterritæ iunt. Has Angelus eri-  
git prohibendo eas timere, laudando carum bonum pro-  
positum quod quæsiverint Jesum Nazarenum Crucifixū;  
ostendit illū surrexisse, non eis cīn sepulchro monstrans  
locum in quo Jesus positus erat, jubensq; eas abire & di-  
tere discipulis ejus, & Petro quod præcedere velit eos in  
Galilæa & quod ibi visuri sint eum sicut dixit. Præterea  
refert S. Evang, quod mulieres propera verint ē sepulchro  
& fugerint à monumento, siquidem venerat super eas  
tremor & studor, neq; etiam ausæ sint quicquam alicui  
revelare quia timuerant. Confirmatur in hoc Evang:  
fides nostra de Christi resurrectione, & signis, & An-  
gelica concione. Confirmatur etiam fides nostra de remis-  
sione peccatorum: Quod rectè credamus remitti pa-  
nitentibus peccata. Siquidem Petro qui Christum etiam  
jure jurando abnegaverat a annunciari jubet Evangelicā dul-  
cissimamq; relationē, quod Christus resurrexit, quod

Petrus visurus sit Christum; confirmatur etiam fidej nostra articulus de nostrorum corporum resurrectione, si quidem Christus, caput nostrum resurrexit. Ut refert Apost: i. Cor. 15.

## P A R T E S.

2. De mulierum barum in Sepulchrum Christi ingressu.

2. De iis quæ mulieribus evenerunt postquam ingressæ erant, quid viderint, & quid audierint.

Atq; hæ sunt istæ partes, quas hac vice breviter & simpliciter tractare constituimus: Omnipotens & aeternus Deus, Pater noster cœlestis dilectissimus, nobis omnibus benedicit, cunctaq; utiliter & fructuose cedere faciat.

## P A R S P R I M A

In qua meditamur:

### I. Tempus ingressus mulierum: Hoc dupliciter describitur.

1. Quod mulieres ingressæ sint sepulchrum post præteritum Sabbathum, cum Sabbathum præteriisset inquit Evang. Sabbatho quieverunt, ut præceptum erat in lege, Domine erant & cultui divino vacabant, ut S. Lucas de illis refert Cap: 23. v. 56. Cum vidissent hæ piæ mulieres ipsa die crucifixionis & sepulturae Christi, quomodo possumus erat corpus Christi, reversæ sunt & præpararunt aromata, & unguenta, verum Subsequente Sabbatho, quieverunt non quopiam sua aromata portantes. Verum postquam illud Sabbathum præteriisset quod vocabatur à judæis

ā Judæis Magnum Sabbathum; Et prima dies Septimanæ  
quam diem nos vocamus dominicam propterea quod  
Christus Dominus noster illo die resurrexisset ingrueret  
eratq; apud judæos dies profetus, apud nos v festu; pro  
pter Christi resurrectionem tum receperunt Præcep tūm  
illud juxta quod se conseruunt mulieres domi die Sab-  
bathi ad sepulchrum extat Exod: 20 & alibi; & decalogo  
insertum est: memento ut diem Saabbathi Sanctifices;  
die, post hoc Sabbathum exēunt ad Sepulchrum Christi.

2. Describitur hoc tempus quo ingressæ sunt Sepul-  
chrum à parte diei vidz. quod circa diei initium in itine-  
re fuerint ad sepulchrum illudq; sint ingressæ valde ma-  
nè ait S. Marcus, cum sol oriretur. Atq; hic nulla est dis-  
crepancia, S. Math. qui dicit mulieres tum ivisse ad se-  
pulchrum cum serò esset vel ultimum punctum diei ma-  
gni Sabbathi absolutum esset & inciperet primus dies pri-  
mæ Sabbathorum sive dierum sequentis septimanæ.

L. C. 1. Ultraq; temporis quo mulieres se ad se-  
pulchrum Christi contulerunt descriptio, admonet nos  
etiam geminarum virtutum. Quarum prima, ut dies festos  
observemus nec illos prophanemus alijs occupationibus  
& curis quam cultus divini observatione ut S. Lutherus  
tertium decalogi præceptum de Sabbathi Sanctificatione  
explicat dicens: debemus Deum timere & diligere ne  
divinos sermones & eus verbum contemnamus, sed ut  
Sanctum repudiemus & discamus. Quærite primū Regnum  
Dei, inquit Christus & cætera adiicientur vobis: Maria  
elegit optimam partem quæ non auferetur ab ea Lu: 10

L. C. 2. Altera temporis annotatio, notans ipsius  
dies, quo iverunt ad sepulchrum, tempus, vñ matutinum  
& quidē in ortu solis ideoq; valde manè iverūt Docet nos  
Sanctos ac pios homines manè irrexisse ad cultum Deo

præstandum & ita optimas horas precibus & gratiarum  
actioni tribuisse Ps. 5. Exaudi dicit David, mane Deus voca  
meam: Levitæ stabant manæ ad confitendum & canen-  
dum Dominos. 1. Paralip. 23. Sapientia clamat Prov. 8.  
qui manæ vigilat ad me, inveniet me, Amemus sobrie-  
tatem ut manæ per sanitatem surgere possimus utq; illa  
quaæ pietas & vocatio exigit, non negligamus.

## II. Nominum harum mulie-

rum ad sepulchrum cunctium & illud ingredientium an-  
notationem. Nominatur Maria Magdalena, Maria Ja-  
eobi Sz. Mater ut exponit Math. 27. v. 56. & Salome  
Mater filiorum Zebedæi Math. 27. v. 56. harum nomina  
annotavit Evang. in illarum honorem, nec non historiæ  
resurrectionis Dominicæ certitudinem, vidz, ut nomi-  
na earum ubicunq; hoc Evang. prædicatur simul in ho-  
norem earum recenscantur & quod venerint cum aro-  
matibus ad ungendum & condiendum corpus Christi.

L. C. 1. Opera danda ut nomina nostra apud po-  
steros in recordatione sint, non propter vitæ memoriam  
sed propter virtutes. Et si in ullo alio celebres evadere  
nequeamus obstantibus vel ingenij dotibus vel corporis  
incommodis, ut tamen ob pietatem commendemur. Cor-  
poralis exercitatio ab Ap. 1. Tim. 4. ad pauca utilis esse  
citatitur, pietas v. ad omnia utilis tam de hujus vitæ  
commodis post hanc vitæ quam promissionē de vita æter-  
na habens, priorū nomina Scripta sunt in Cœlo, id quod  
magis optandum quā ut Dæmones fugare aliave miracula  
de equecamus. Teste Christo Luc. 10. v. 20.

## III. Quis finis egrediendi ad Sepulchrum Domini & illud ingrediendi: Hoc indicat Evang.

Evang: dicens has nrae eres ideo c'm e egr'sas & se.  
pulchrum iagressas ut venientes ungescit' jetum. Im-  
bant enim Doani aromata in hunc in embou parcentes  
sumptibus. Sicuti etiam viri optimi id fecerunt. Joseph.  
Arimatheus & Nicodemus.

L. C. 1. propter amorem Christi e cellis sumptibus  
parcendum, nec ullis alijs, nos deterteri patien'ti q' in  
ea quæ decet, Christo exhibeamus officia. Nulla res, no-  
bis sit tam chara quæ nos ab illo abstrahat. Tali erga Chri-  
stum amore flagrabat Apost: Rom. 8. v. 35. 6. 37.  
38. 39.

**IV. Mulierum insperatam per-**  
veniendi in sepulchrum occasionem, cum in itinere essent  
mulieres ad sepulchrum, in mentem eis venit, quod vide-  
rant die sepulturæ ingens saxum ad volutum ostio monu-  
menti Christi, viderunt etiam vel alias res civerunt hoc  
saxum, fuisse obsignatum Sigillo ipsius Pilati. Nec potuit  
eas latere Christi sepulchrum etiam a militibus Romanis  
Custoditum, ne discipuli Christi quod timebant impij  
Pharisæi & scribæ, ipsum auferrent & dicerent cum rei-  
texisse. Loquuntur itaq; mulieres jam de lapide Re-  
volvendo, dixerunt inter se quis revolvet lapidem ab ostio  
monumenti? verum dum respexerunt, viderunt lapidem  
revolutum & liberum esse ingressum in sepulchrum.

L. C. 1. Cum pium habemus propositum licet non ra-  
go impedimenta & obstacula incident quæ instar lapidis  
magni alicuius ostio nostri propositi ad volunti, aditū ad per-  
ficiendū bonū propositū nobis præcludunt, tñ. propterea  
non est desistendum, sed pro viribus pergendum in bono  
proposito, firmiter credendum quod Christus, in cuius  
bonorem & amorem cupimus aliquid boni facere, felicem

ecem largiatur successum, potens est Christus suos in bono perseverantes promovere, & conatus eorum bonos prosperare, obstacula & impedimenta tollere & miraculosè quidem interdum, cum venit hora Christi nos juvandi, liberandiq; ab omnibus molestijs.

## SECUNDA PARS.

**I**n prima parte vidimus quomodo hæ mulieres in sepulchrum Christi sint ingressæ in hac altera parte quid illes illuc evenerit videndum...

In quâ meditamur:

**J.** Quid primò evenit his mulieribus in sepulchro Christi: Evang: noster inquit, videbunt juvenem. Juvenis hic, homo non erat habens carnem & ossa, sed erat Angelus Dei, qui descendebat de cælo, qui lapidem revolvit ab ostio monumenti, vñ postquam Christus resurrexisset, non enim opus habuit Christus ut Angeli revolverent lapidem propter suam resurrectionē, quasi ille lapis ullo eā impedire posset modo, sed ad fuit hic angelus post resurrectionem Christi ut lapide in gratiam mulierum revolveret, ut illæ proprijs oculis inspicerent sepulchrum, perciperentq; Christum verè resurrexisse, monstrante angelo locum ubi Christus positus erat, assidenteq; surrexit, non est hic.

**L. C. i.** Qui pietati student, pia intentione aliquid faciunt, bonos Angelos habent comites & ubiq; fucrūt, præfentes; ut non sit vana pigrum oratio, Sanctus tuus Angelus sit tecum! Hanc orationem audit & exaudit Deus mittitq; suos Angelos vigiles Sanctos ad illos qui aeternam Salutem hereditaturi sint. Hebr. i. v. 14.

Qui

Qui templo frequentant ut audiant Christi sermonem nō solum Christum habent præsentem, juxta illius Promissionem: ubi cūq; dūo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio illorum Matth. 18. v. 20. Sed etiā e, angelos latari ob illorū pietatē docet, Quod si viderint eos in templo, Salvator Luc. 15. negligentes verbi auditores tristantur & ægrè hoc ferunt. Agāus Deo gratias pro hoc beneficio quod Angelorū custodia nos mūire voluerit qui portant nos super manus suas in vijs nostris ne impingamus pedes nostros in lapidem Ps. 91.

**II. Alterum quod evenit mulieribus in sepulchro Christi, est pavor & consternatio. Territæ sunt, inquit Evanḡita quidem, ut mulieres etiam postquam eas Angelus bono animo esse jussit, deponere timorē non potuerunt, siquidem quærerent Jesū Nazarenum crucifixū qui resurexit ad huc territæ, properantes ex sepulchro propterea quod pavor & consternatio eis supervenerit, quodq; nō potuerint præ timore mox aliquid cuiquam referre quod sibi acciderat:**

**L. C. i.** Patet hoc mulierum pavore & consternatione, propter ex angelicā apparitionē, quantum sit discriminē inter statum nostrum, dum in hoc mortali Corpore sumus & inter illum in quo futuri sumus, in altera vita. Futuri sumus illic similes Angelorū Matth. 22. v. 30. Atq; tum Angelos non timebimus, videbimus illos sed non extimescēmus, conversabimur cum illis familiariter, erimus à in gloria Angelis pares. vocant se etiam jām nostros conservos Apoc. 19. Erunt corpora nostra, caelestia corpora, habituri sumus quidem in resurrectione omnes Claritatem diversam & diversis in gradibus, sicut alia est claritas Solis, alia luna, alia stellarum. Seminatur cor

pus nostrum corruptibile resurgit incorruptibile, semina-  
tur in vilitate, resurgit in gloria, seminatur in infirmitate  
resurget in virtute, seminatur naturale Corpus, resurgit  
spirituale. Hanc præsentis nostri status mutationem  
summopere desideremus, & spe longè certissima futuræ  
mutationis, omnia nostra incommoda æquo feramus  
animo cum hæc momentanea levitas, æternam gloriæ  
pondus pariat; 2.cor. 4:18, 17. Qui max. in us est nobis resur-  
rectionis Christi ex mortuis fructus.

**III. Tertium quod accidit his**  
mulieribus, est consolatio. Dixit eis angelus, ne terreamini,  
vos queritis Iesum Nazarenum crucifixum, surrexit non  
est hic, ecce locus ubi posuerunt eum. Nō erat illic Christus,  
visibiliter & eo modo, quo illuc erat positus.

L. C. I. Post terrorem prædicatur pīj, coniolario,  
post tristitiam gaudium. Hæc est Dei bonitas, non sinit  
suos perpetuò angipavore & timore, prædicatur paupe-  
ribus Evangelium. Habent præcōnes verbi Dei manda-  
tū. Isa. 40: v. 12, v. 27, 28, 29-30, 31. Consolamini populū meū.  
To 3. v. 21, 22. Haec Deibōitate se pia virgo Sara consolatur.

**IV. Quartum quod mulieribus**  
acciderat in sepulchro, est vocatio ad prædicandū & annū-  
ciandum Christi à mortuis resurrectionem. Hanc vos-  
cationem describit S. Marcus his verbis Angeli. ite & di-  
cite discipulis ejus & Petro, quod præcedat vos in Galilæā  
abi eum videbitis sicuti dixit vobis. Hanc Iuani in Ga-  
lilæa manifestationem coram discipulis promitti salvator.  
Marc. 14. v. 28. v. 32. Loquitur autem Christus de qua-  
dam peculiari manifestacione & Coram multis homini-  
bus simul. Quam apparitionem factam testatur Paulus

**L. Cor. 15.** Factam v. illam apparitionem Domini, Apostolis in Galilaea in monte, quidam, purant Thabor, in quo monte Christus quoq; Clarificatus videtur. Cum v. fama percrebuisse, quod Christus in eo monte se se ostensurus esset, conlutevunt eō etiam reliqui discipuli quos Paulus fratres vocat. **v. cor. 15.** interea vero Christus aliquoties apparuit Jerusalymis ante hanc in Galilaea apparitionem ne dimitius in magno angore & mortore dubij haerent de illius resurrectione, & ut Petrus de gratia Christi citius readeretur certior, quem omnium discipulorum fuisse mastillatum hoc indicat quod non solum agetrim tulerit Christum in mortem traditum, sed etiam quod abjuraverit Christum ter, & postea ipsum deseruit. jubet itaq; Angelus mulieres in primis annunciare Petro haec bona nova, quod Christus vere ex mortuis resurrexisset.

**L. C. 1.** Quandoquidem Angelus tam sua viè consolatus mulieres jobetq; ut timore deponant, jubet eas annuncia re Christi ex mortuis resurrectionem, omnium primo: apparet sexum muliebrem Deo curae esse, nec a Deo negligi eū in mortore & tristitia. versatur Cōsolabatur Angelus Hagaram uxorem Abrahāni cum erraret in solitudine eum filio, & siti contrabesceret filius, ipse fontem unde biberet monstrans. **Genes. 21.** Elias ad viduam Zaratianam divertit, ut vidua eum filio victimum haberet in caritate annona. Præterea quod Angelus constituat eas præcones resurrectionis Christi, & quidem ut illæ omnium primo hanc famam gratissimam omnibus pijs sparagat, & quidem tam certo referens ut ore angelis prolatam ut dubitare de illius certitudine fas minime esset; intelligimus non solum curae esse Deo mulieres, sed etiam in ho-

nore esse apud Deū. Intravit quidē probdolor per mulierē peccatum in muadum & per peccatum mōs Rom. 5. verum Christus salvator peccatum tollens, ex muliere natu timorem eximit, sexui muliebri. Pastores quidem annūciant Christi nativitatem, mulieres verò Christi ex mortuis resurrectionem. Honor itaq; & huic sexui tribuēdus, juxta etiā Petri monitū, quāvis sit vasimber ille. imò ideo honorandus hic sexus, quia etiam Deus per illo lum Regna & provincias gubernat.

**L. C. 2.** Sicut Christi passio in Ecc'lesia Dei propo nenda, & ipsā Paul' tanti se fecisse ait, ut ferè nihil se novisse dixerit quam Jesum Christum & hunc Crucifixum; ita Christi resurrectio ex mortuis ppter nostram justitiam diligentissime annuncian da quippe quae ad salutem tam necessaria. De utriusq; Passionis Christi, & illius ex mortuis resurrectiōis utilitate testatur Apost: Phil. p 3. v. 9. 10. n. Ubi dicit se omnia flocci facere, & saltem unicē studere ut habeat per Fidem J E S U C H R I S T I justitiam Dei, ut cognoscat Christum, & vim resurrectionis ejus & communicationem passionis ejus conformis factus morti ejus, ut ita perveniat ad resurrectionem ex mortuis, videlicet ut non dubi et quin ipse virtute resurrectionis Christi ex mortuis resurrecturus sit.

**D**eus qui hodierno die per unigenitum tuum aeternitatis nobis aditum de vita morte reserasti, fac ut virtute hujus resurrectionis nos resurgamus ad vi tam

nam aeternam, ut & in hac vita cum mulieribus his p̄tis  
aromata feramus, virtutum & bonorum operum ex  
bono corde in patientia. Amen.

Benedictio, & Claritas & Sapientia, & Gratiarum actio, & Honor, & Vir-  
tus, & Fortitudo, DEO nostro, in Secula seculorum, Amen. Apoc. 7. 12.

## QUÆSTIONES.

**A**N Maria Magdalena quæ hic cum alijs mulierib⁹  
Sepulchrum Christi visitavit, sit illa peccatrix cui Luc.  
7. v. 47. Christus peccata remittit, cum antea publi-  
cis sceleribus in famis fuisse? Neg:

De hac quidem non nulli statuunt, quod sit peccatrix  
illa cui Lne. 7. versic. 47. peccata remittit; cum antea  
publicis sceleribus in famis fuisse, faciunt quoq; ex ea  
Mariam Lazari & Martha sororem, cujus mentio sit Lu-  
ca 10. v. 39. Joh. 11. v. 2. Gregor. Homil. 33, in Evang:  
Hanc quam Lucas peccatricem mulierem, Iohannes mu-  
lierem vocat, illam esse Mariam credimus, ac qua Marc.  
septem Dæmonia ejecta fuisse testatur. Et quid per se-  
ptem Dæmonia, nisi universa vita designatur &c. Sed  
careth hæc sententia certis fundamentis, ut latè ostenditur  
c. 85. Harm: p. 160. de Maria Magdalena dicitur Luc. 8.  
versi. 2. Marc. 16. versi. 9, quod septem Dæmonia Chri-  
stus ex ea ejecerit, quæ descriptio vel peccatri ci illi Luc. 7.  
vel Sorori Lazari & Martha: Luc. 10. Joh. 11. v. 12. non  
potest accommodari. Vide Scripta contraria Jacobi  
Fabri Stapulensis de tribus Marijs & Clictovi de una Ma-  
ria. Quamvis sit igitur doctrinam consolatoriam Ruper  
Lib. 2. de operibus Spiritus Sancti Capit. 21. & alij qui-  
dam

dam ex eo texant, quod Christus primo omnium Mariæ Magdalene insigni illi peccatrici post resurrectionem apparuerit tamen cum opinio illa de Maria Magdalena, quod fuerit peccatrix notoria; traditione tantum nitatur & certo fundamento destituatur, ideo non debet in Ecclesia proponi.

2. *An caput ultimum Marci, in quo hodiernum Evangelium describitur, verè sit ipius Marci Evangelium?*

**Affir:** Ultimum caput Marci tempore B. Hieronymi non fuisse ab omnibus receptum ut canonicum, patet ex Epist. ad Hedibiam q. 3. Causa dubitationis erat propter quædam verba apocrypha, quæ in isto ante, inserta erant, ut patet ex Hieron. L. 2. Contra Pelagianos, antè mediū. Hæc enim inserta erant verba, quæ satis apertè Manichæismum redolent (Et illi satis fabricabant, dicentes seculum istud iniquitatis, & incredulitatis substantia est, quæ nō finit per immundos Spiritus verbum Dei apprehendi virtutem, idcirco jam nunc revela justitiam tuam) Nunc verò nobis dubitare non licet: Legitur aut caput hoc in diebus celeberrimi sumpotè resurrectionis & ascensionis Christi. Et idem exponitur à Bela, & à B. Gregorio hom. 21. & 20. in Evangelia. Athanasius etiam in synopsi in summa Evangelij Secundū Marcum, hoc caput ut verè Marci agnoscit. Et similiter August. libro 3. de consentu Evang. Cap. 24. Deniq; incredibile est Marci Evangelium ita mutilum. & truncum esse ut nihil de resurrectione contineat.

•  
•  
•  
•  
•